


# In reſtitutam REGI Valetudinem, graviſſimo morbo in medio Victoriarum curſu tentatam.

## *CARMEN.*

ERGONE Sacratos, morbi ludibria, Reges
Vivere ſubjectos morti, falciſque tremendæ
Expallere minas, & inevitabile telum!
Siccine, quos Populi curvatâ fronte, potentes
Terrarum latè Dominos, ceu Numina, adorant,
Tam miſeras ſperare vices! Has Maxime nuper
Senſiſti, LODOIX; has tecum GALLIA ſenſit,
Et penè occubuit tanto convulſa dolore;
Cum prope tu nobis fato divulſus acerbo es,
Gallicaque amiſſo timuerunt Lilia Sole,
Rurſum ne premeret ſontes nox impia terras.
Pacis amans LODOIX, ſoleſque agitare quietos
Cum populis gaudens, hoc totâ mente petebat;
Ut tibi non alii lucerent, GALLIA, ſoles,
Æternùmque frui tam lætâ ſorte liceret.

Aſt ubi pro Regno, pro majeſtate tuendâ,
Cogitur infidæ paci præponere bellum;
Et gerere ipſe parat. Nimirum fervidus alto
Pectore laudis amor, decorumque animoſa cupido,
Excitat ardentem, & juveniles increpat annos.
Tum quoque tot cædes, & funera fœda ſuorum,
Fas contra, moremque, atque omnia jura recurſant,
Placandique agitant hoſtili ſanguine manes.
His ſuper & PRINCEPS, ſibi quem ſolemnia dudum
Fœdera conſociant, bello vexatus atroci;
Incenſæque urbes flammis, vaſtataque Regna,
Cunctaque flebilibus latè proſtrata ruinis,
Sollicitant ultorem animum, atque hortantur in iras.
Ergo Verſalicâ ſeſe inflammatus ab urbe
Proripit, & nimbo ſimilis, ſimiliſque procellæ,
Quò ſe vota vocant, quò Martius abripit ardor,
Improviſus adeſt; greſſuque invectus ovanti,
Belgica caſtra ſubit, turmis plaudentibus, Heros.
Qualis poſt tenebras, & opaca crepuſcula noctis,
Cum novus exoriens redeunti lumine terras
Sol recreat, vultuſque orbi reſtaurat amicos;
Exultat pecudum omne genus, genus omne volantum,
Certatim & plaudunt reduci, cantuque ſalutant
Dulciſono, aut clamore aliæ, & mugitibus altis.
Haud aliter LODOIX, placido aſpectabilis ore,
Fulguraque & radios riſu præeunte ſerenans,
Caſtra per ingreditur; Francis & amabile ſidus,
Lætitiam paſſim, vivoſque inſpirat amores.
At non mens eadem, ſimileſque in pectore ſenſus

Parte aliâ : tumidi qui paulo ante, atque feroces
Exitiumque, ignesque insanâ voce fremebant,
Fracti hoc adventu trepidant : jamque æquore toto
Abscessêre procul, felices flumine vasto,
Aggeribusque altis si fors defendere sese,
Instantemque sibi possint avertere cladem ;
Incertique, cadat quò formidabile fulmen,
Jam sua prævertunt lacrymosis damna querelis.

Nec longum stat in ambiguo metus : agmina namque
Audacesque trahens delecto robore turmas,
Meninam LODOIX confestim ducit ad urbem.
Principio muros circum, vicinaque muris
Lustrat equo spatia, accessumque interrogat omnem,
Ingeniumque soli scrutatur : quis modus urbis
Cingendæ brevior ; quæ munimenta laborent
Suspiciosa magis ; vanos quæ terra ligones
Fossoris frustretur, & irrita brachia ludat ;
Quâ statione focos, & quâ tormenta reponat.
Singula quæ postquam vario pro more locorum
Composuit, secumque animo prudente peregit ;
Tum fossas agere, & transverso tramite calles
Instituit, propiusque adversæ dirigit urbi.
Instant ardentes GALLI, noctemque diemque
Continuant opere assiduo : rescissa patescunt
Viscera terrarum, & longæ arcto limite fauces.
Nec minus obsessi, quâ mœnia parte premuntur,
Festinare alacres, nec lato gurgite campos
Mergere contenti, miscere incendia lymphis,
Innumerasque altâ, ceptum si forte laborem

892 Diſturbare queant, torquere crepidine glandes.
Sed neque laxatique amnes, glandeſque cruentæ,
Millia quot nunquam tanto cecidêre tumultu,
GALLOS abſterrere valent; quòque acriùs illi
Pellere tendentes denſatâ grandine certant,
Hòc magis ardeſcunt animi diſcrimine ab ipſo,
Nobilibuſque furit virtus incenſa periclis.
Ergò ubi perventum ad muros, tormentaque juſſis
Quæque ſtetêre locis; tum protinus impete vaſto
Omnia detonuêre, allapſaque fulminis alis,
Disjiciuntque arces, & propugnacula rumpunt.
Aſt alii fœtas nigranti pulvere moles
Fomite ſulphureo incendunt; quæ fervida ſursùm
Maſſa volans, curſuque memor directa fideli,
Mox ſe præcipitat, parteſque in mille repente
Diſſiliens, totidem diſrupto fragmine mortes,
Vulneraque, & ſtrages, & dira incendia ſpargit.
Nec modus, aut requies: repetitis imbribus uſque
Tela, faceſque pluunt; donec jam inſtante ruinâ,
Confeſſi tandem Auſtriaci, pacemque precantes,
Victori portas, & mœnia victa recludant.
Et vos Ypræ, non primùm cognita GALLIS
Nomina, vos triplici quanquam munimine muri,
Tot vallis, dextriſque virûm, atque paluſtribus undis
Defenſæ, Furnique arces, caſtrumque Kenoqui,
Proſpectante Anglo nequicquam, ac multa fremente,
Vos quoque BORBONIAS leges, & jura ſubiſtis.
Belgica jamque omnis Regio ſtupefacta pavebat,
Tanto ſucceſſu rerum, & victricibus armis,

Ne ſibi fata eadem mox experienda manerent ;
Ni trepidæ auxilium ſors inſperata tuliſſet,
Diverſaſque retrò REGEM abduxiſſet in oras.
Hæc, LODOICE, Tibi fuerant exordia Martis;
Hi belli ingreſſus, primæ & tentamina famæ,
Longè ſpes alias, plenoſque datura triumphos:
Cùm ſubitò infernis, quâ nunquam tetrior ulla,
Morbi ſæva lues ſeſe prorupit ab antris;
Et viles exoſa animas, clareſcere magnis
Criminibus, totique parat ſpectacula mundo
Edere. Nec mora regales ingreſſa per artus,
Inſinuat ſeſe, penitùſque recepta medullis,
Indomitum accendit venis ferventibus ignem,
Et capiti diros afflat ſcelerata dolores.
Nec tamen in tali poſitum diſcrimine PRINCEPS,
Se videt, aut meminit: plus illum cura ſuorum,
Auditique procul gemitus, & funera tangunt;
Protinùs ac reliquos cum febre ſatellite curſus
Urgeat impatiens, niſi Regia tota reclamans,
Vincat ab invito brevia intervalla quietis.
At non obſequio hoc peſtis placata remittit;
Imò ſævit atrox magis, atque extrema minatur.
Nil ægrum fomenta juvant, arteſve Medentûm,
Nil hauſti calices, ſucciſque potentibus herbæ,
Nec toties miſſus defecto corpore ſanguis.
Et jam vox ſenſuſque abiit; jam deficit omnis
Halitus; exangui jam pallor luridus ore,
Lethaliſque ſopor, funeſtaque mortis inago.
Stant muti proceres, & mœſto lumina vultu

894. Terræ defixi, expectant fata ultima Regis.
Ergo preces, Populi, quandò hæc tentanda ſuperſunt,
Vota, iterùmque preces intendite: jam perit ille,
Dulcis amor, Princeps, vobis tam dignus amari,
Jam perit; atque citi gemitus niſi Numina flectant,
Hic fors ante diem crudelibus occubet umbris.
Hei mihi! quàm ſpes lenta venit, quàm tarda morantur
Auxilia! intereà mediâ plus morte ſepultus,
Rex tumulande jaces: en quo pietaſque, fideſque,
Et noſtræ (miſerùm) Te adduxit cura ſalutis.
Ah! potiùs me, me, adſum, jam me confice letho,
Juſte Deus; viliſque tibi ſi victima ſordet,
Ut ſaltem liceat tanto haud ſupereſſe dolori.
Aut te ſi noſtri gemitus, ſi vota preceſque,
Aſſiduæque movent lacrymæ; miſerere tuorum,
O Deus, Imperii miſerere labantis, & illum
Incolumem ſerva, quo ſoſpite Gallia vivet,
Quo pereunte ſuos æternùm flebit amores.

Vincimus, ô Cives: Cœlo eſt vis facta, Deuſque
Terribiles iras, & tela minantia ponit.
Vivit defletus LODOIX, fatoque ſuperſtes,
Autorem vitæ Dominum jam pronus adorat.
Cernite; Relligio nimbo ſubvecta curuli,
Atque manu geſtans ramum pacalis olivæ,
Hæc avidis properat diffundere gaudia terris.
Ergo ſqualentes nunc exue, Gallia, luctus,
Quantus & ante dolor, tanto ardeat impete rursùm
Lætitia: effuſis reſonet concentibus æther,
Plaudentum populorum, & ovanti voce frementum.

Ignibus incenſis altè irradiata coruſcent 895
Atria tectorum; lychnique ex arte loquaces,
Dilecto Regi modulatâ luce precentur.
Fulgentes alii tabulas, & picta trophæa
Poſtibus appendant, everſis oppida muris,
Fumanteſque domos, palantiaque agmina longè;
Tum ſpolia adjiciant, raptoſque ex hoſte triumphos,
Enſeſque, galeaſque virûm, captivaque ſigna.
Aſt alii fluvio ſuper, & mirantibus undis,
Ambitioſa parent celebri ſpectacula pompâ,
Artificeſque ſtruant flammas; quæ mille figuris,
Nunc flexus ſerpentum agiles, nunc lucida Cœli
Sidera, nunc Solem rapidum, undanteſque maniplos,
Fulgura nunc, tonitruſque imitatæ, fixa morentur
Lumina ſpectantum, & clamoribus ora reſolvant.
Imprimis verò, Populi, quæ ſancta dicaſtis,
Reddite vota Deo memores; variaſque per artes
Deſcripti, indictis ad conſcia templa diebus,
Pergite certatim, & ſacris de more peractis,
Feſtum deinde melos ſublimi attollite linguâ.
Tuque adeò, dici quæ gaudes Filia Regum,
Te decus imperii, Pariſina Academia, princeps
Ut luctu fueras, ſic & pietate præire,
Exempliſque tuis urbem inflammare juvabit.
Jamque videre mihi directas ordine longo
Auguſtas acies videor, venerandaque caſtra;
Incanos Patres, divinâ in lege Magiſtros,
Solvere tum doctos nodoſi ænigmata juris,
Quique hominum revocant fugientes corpore vitas,

896 Aut qui Palladiis exercent artibus annos,
Omnes purpureos, proprio aut ſplendore micantes;
Dum trabeâ inſignis, multo & lictore verendus
Incedit, Pompæ claudens veſtigia Rector.
Ipſe quoque Auſonii quanquam pars ultima cœtûs,
Ibo per medios; cantuque ſecutus euntes,
Te, Domus ampla, petam, celſis ubi fulta columnis,
Sacra LUDOVICO ſeſe ædes ardua tollit,
Et Mazarinæ æternat cognomina gentis:
Atque ibi procumbens, & fletibus humidus ora,
Hæc tacitus mecum ferventi corde precabor.
  O Pater omnipotens, cui felix GALLIA debet,
Quod vivit LODOIX, quod jam venturus in Urbem,
Conſpectuque ſuo populorum implebit amores;
Quæ tibi digna queam tanto pro munere ferre
Obſequia, atque pares meritis effundere ſenſus!
Ante leves ergo vitæ ſupremus abibit
Spiritus in ventos, tumuloque hæc oſſa quieſcent,
Quàm mihi fauſta dies memori de mente recedat.
At tu, ſumme Deus, ſi non infida dediſti
Gaudia, fac maneant, Natiſque fruenda ſuperſint.

FRANCISCUS-LUDOVICUS NICOLE,
Litterarum Profeſſor, in Collegio Graſſinæo.

---

*Cum permiſſu. Die 28 Novembris, anno* 1744.
FEYDEAU DE MARVILLE.

---

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracenſi.